

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843,  
enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von  
Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

0432

0430

0436

0426

0441

0421

0481

0381

0531

0331

0931

Ende

Anfang

418

meridiem et ab alia parte descendimus in alium torrentem, qui  
vergebat contra orientem a meridie, per quam aquarum de-  
cursus dum est, defluit in mare mortuum. Si quis per illum  
torrentem ascendisset, forsan ad X millaria ad mare mortuum  
venisset, quod suam linguam extendit a Sodoma usque in soli-  
tudinem hanc. Porro torrens ille petrosus erat, montesque utrius-  
que lateris cum petris et rupibus erant albissimi, ac si omnia  
essent nive opera. Directe autem hunc torrentem transgressi  
sumus, nec per eum ascendimus nec descendimus, sed ab uno  
margini descendimus et per alium limbum ascendimus. Dum  
autem in altum venimus, in jugo paululum processimus, quia  
per abrupta descendere non statim potuimus, scopulis in modum  
dentium ab inferiori porrectis; opportunitate vero descendendi  
nacta per prona descendimus, et in alium torrentem profundum,  
**(32 a)** saxosum, asperrimum et penitus sterilem, omni viri-  
ditate carentem, incidimus, qui dicebatur Magdabee. In illo  
torrente in loco quodam satis rigido prostratis camelis et  
oneribus solutis tentoria fiximus et ad manendum ibi illa nocte  
nos disposuimus et asinarios nostros pro aqua ad quandam  
paludem misimus, quam dicebant non longe distare. Non enim  
cum exercitu nostro ausi fuimus tentoria figere juxta paludes  
aut cisternas deserti, quia, ut communiter, ibi Arabes sua  
tabernacula figunt, quibus cohabitare erat grave. Nos etiam  
per torrentem pro sarmentis colligendis ad ignem nutriendum  
dispersi sumus, quoisque asinarii cum aqua venirent, quorum  
adventum cum desiderio exspectavimus propter aquam re-  
centem speratam; laboriosum enim diem habuimus et calore  
incensi sitibundi eramus. Cum autem asinarii venissent cum  
aqua et eam de utribus in utensilia coquinae transfunderemus,  
non apparuit aquae species, sed potius lactis. Erat enim aqua  
albida et crassa et magis appetitui contraria, quam illa, quae  
in utribus erat inveterata et rubra! ac amara facta propter  
corium. Accepimus ergo illam aquam albidad et cibos cum  
ea coximus, r̄nfram autem pro potu bibimus. Attuli autem  
Calino cyathum cum aqua albida et alium cyathum cum aqua  
rubra interrogans eum, quae sanior esset ad potandum? Et  
respondit, quod aqua alba esset mala et insana, rubra vero  
ex corio et acuta esset non solum non mala, sed medicinalis

